



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Anselmus Ep. 21. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

256 VITÆ SANCTORUM. 21. April.
Mortem multi infantes à suis cunis, quâ
sermone, quâ cantu celebrarunt. Corpus
putredine taboq̄ue intactum virtutum ac
præcipuè castimonix luculentam præbuit
testificationem. Ex Bullâ Canonizat.

*Ut sancta anima Christi caractere utro-
bique signetur, eum in corde suo signacu-
lum ponat, ut amoris ejus facibus medulli-
tus inardescat; ponat etiam in brachio,
ut piis operibus valenter insistat. S. Pet.
Damian l. 7. ep. 9.*

S. ANSELMUS EP. 21. Aprilis.

FAcilè mundum despicit, quisquis æ-
quis oculis aspicit. Testis luculentus
ANSELMUS est. Vidit hic (nebulam ab
oculis Deo removente) quem nos mun-
dum dicimus, immundam, quâ patet, pa-
ludem esse, cœni omnis ac sordium col-
luviem: in hâc volutari miseros homun-
culos; hinc delicias suas haurire delictu-
los, hinc gemmas quærere avaros, hinc
triumphare ambitiosos. Miratus AN-
SELMUS posse tam sordidâ lacunâ
piscis gaudere tam nobiles, oculum
ad religiosorum septa transfudit, &
ædes sibi videre visus est regio opere
structas, & omnibus delitiis affluentes.
Has itaque ingressus, ex Monacho Cœno-
biarcha, ex Cœnobiarcha Pontifex Can-
tuariæ mortuus memoratur, anno M. C.
IX. vir qui è minimis quibusque rebus
maxima

22. April. VITÆ SANCTORUM. 257
maxima dare documenta scivit. Nam, ut
alia silentio prætermittam, cum lepuscu-
lum sub equum suum fugientem à cani-
bus undique cingi conspexisset, eam mo-
rientis conditionem esse exclamavit ab
atris geniis obsessi. Jam puerum conspi-
catus cum aviculâ lufitanti filio alliga-
tâ, peccantis hominis typum esse dixit,
qui libertate suâ spoliatus, ad arbitrium
Stygii aucupis viveret. Itaque qui jam
nos circumspicimus, si ANSELMO cre-
dimus, mali dæmonis ludus, lepusculi,
& aviculæ captivæ sumus. Nec tamen
stulti lepores fugimus, nec aviculæ filium
rumpimus: quin quod omnem stultitiam
exsuperat, cantitare etiam in tantis mise-
riis juvat. *Ex Edinero.*

*Cum semel anima adhaferit cupiditati-
bus demersa terrenis, difficile in altum po-
test, inde descendit, sine Dei favore, evolare,
Actuum enim suorum vincula laqueis,
& secularium deliciarum illecebris obnoxia
tenetur, Ambros. in c. 4. Lucæ.*

S. THEODORUS C. 22. Aprilis.

THEODORUM sexennem mater ad om-
nem licentiam informabat, cum
S. Georgius, ne filium Cæli Imperatori
autoratum vitæ corruptelis effeminaret,
præfens admonuit, pueri deinceps in
sanctitate magister. Eunte ad Ædem
sacram dux adfuit viam præstigiis

R. Orci